

**De Sectione caesarea in clinico obstetricio Bonnensi nuper instituta :  
dissertatio inauguralis ... / publice defendet Carol. August. Winkler ;  
opponentibus Bechen, Schaefer, Schervier.**

**Contributors**

Winkler, Carl August, 1812-  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Bonnae : Formis F.P. Lechneri, 1846.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/a7urbpxu>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**


This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





88  
**DE SECTIONE CAESAREA**

IN

**CLINICO OBSTETRICIO BONNENSI  
NUPER INSTITUTA.**

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE  
FRIDERICIA GUILIELMIA RHENANA

UT SUMMI

**IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**

RITE SIBI CONCEDANTUR

SCRIPSIT ET UNA CUM THESIBUS ADIECTIS

**DIE XXII. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCXLVI.**

PUBLICAE DEFENDET

**CAROL. AUGUST. WINKLER**


SAXO-BORUSSUS.

**OPPONENTIBUS**

BECHEN, MED. ET CHIR. DR. MED. PRACT.

SCHAEFER, MED. ET CHIR. DR. MED. PRACT.

SCHERVIER, MED. ET CHIR. DR.



---

**B O N N A E ,**  
**FORMIS F. P. LECHNERI.**

MDCCCXLVI.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
THE UNIVERSITY OF CHICAGO

**VIRIS ILLUSTRISSIMIS**

**HERMANNO FRIDERICO KILIAN**

**MED. CHIR. ET ART. OBST. DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO,  
DECANO GRAT. ORD. MED. H. T. SPECTATISSIMO, PROFESSORI PUBL. ORD.,  
CLINICI ET POLICLINICI OBSTETRICI BONNENSIS DIRECTORI, SOCIETAT.,  
LITTER. COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC. ETC.**

HUNC LIBELLUM

PIO GRATOQUE ANIMO

CONSECRAT

SCRIPTOR.



## **Praefatio.**

---

**C**redo ego, vos, lectores benevoli, mirari, quid sit, quod, cum tot summi viri de sectione caesarea scripserint, ego potissimum de hac re disserere conatus sim, qui neque aetate, neque ingenio sim cum illis conferendus.

Sed cum mihi per semestre spatium hibernum praeterlapsum clinicum obstetricium Bonnense frequentanti ab illustri directore huius instituti, Professore Dr. Kilian gravida quaedam observationis causa tradita esset, quae ob pelvim rhachitide deformem partum edere non potuit, nisi sectione caesarea adhibita: haud inepte, si de hac operatione scribam, factum esse mihi videtur. Attamen vero nec novi quidquam de hac re dignissima a me in medium prolatum putetis, nec ea, quae traditurus sum, pro sola compilatione ex pristinorum temporum scriptori-



num sextum vitam prosperam degit. A teneris affecta erat permultis morbis, quorum autem non habet mentionem; inprimis ut ex iis, qui eam educabant, audivit, a tenero imbecilibus pedibus sero uti potuit. Deinde rachitidis signa magis magisque cernebantur, et satis illa describere potest, quomodo scoliosis ac cyphosis initium fecerunt et semper creverunt usque ad annum decimum sextum, quo anno hoc corporis incrementum porro non sentit. Symptomata vero, quae praesertim ad ossium pathemata spectant, nullo examine inveniri potuerunt. Excepto capitis breviter efflorescente exanthemate vitam sanam, omnibus morbis qui sunt infantium liberatam ruri egisse narrat. Vaccinae tutelares ei prima pueritia sunt insertae.

Decem annos nata glaciem transgreditura graviter est lapsa, ita ut eius pelvis vehementer commoveretur, quo facto haemorrhagia haud parva ex vagina et, sicut gravida perhibet, ex utero exorta sit, quae autem unum tantum diem perdurans evanuit. Quum vero haemorrhagia, quum caeteris symptomatibus omnibus, quae sese apparentibus mensibus coniungere solent, non erat contexta, sed ex causa tantum traumatica progressa erat, sanguis menstruus minime appellari potest.

Anno decimo tertio demum menses apparuerunt, non solum copia et indole excretionis, sed etiam typo legitimo sese ut veram uteri secretionem probarunt. Quo ex anno menses usque ad conceptionis tempus nunquam cessavere.

Praeterea gravida nostra ante sex circiter annos perfrigeratione acerbissima tussim levem cum sputis copiosis et flavis sibi vindicasse contendit eaque praecipue matutino tempore vexatam esse.



Menses fluxere adhuc die vicesimo septimo mensis Martii a. pr. usque ad quod temporis spatium nostra Schleichert coitum nunquam exercuisse contendit; sub Aprilis autem finem steterunt. Gravida nostra enim in illo temporis intervallo frequentem cohabitationem initam confessa est, qua de causa medio circiter Aprilis concepisse putat. Primi graviditatis menses consuetas, quae sunt gravidarum, res secum ferebant: nauseam ciborum, quibus antea perlibenter fruebatur, picam, repentinam et largam epistaxin, postremo et pedis sinistri et dextri oedema, quae vero omnia mox sponte evanuerunt. Sub finem mensis Septembris gravida primos infantis motus se percepisse dicit et inde ab hoc tempore una cum crescente utero haud parva dyspnoea exorta et tussis, de qua supra diximus exaucta est, unde factum ut ipsius somnus valde turbatus sit.

Nunc iam ab obstetrice, cui sese tradiderat et a chirurgo publico Confluentiae habitante de iniqua graviditatis conditione certior facta, Bonnam se contulit, ut in clinico obstetricio susciperetur.

---

### **Status praesens.**

---

Recepta est Ioseph. Schleichert die tertio Decembris anni praeterlapsi tricesima tertia graviditatis hebdomade. Habitus corporis eius est tener et infirmus, caput crassum, caesaries larga et flava, oculi caerulei, labia tumefacta praesertim labium superius, dentium indoles, posterioribus malaribus exceptis, bona, faciei color



flavescens. Quibus rebus adiungenda est corporis haec conditio: extremitates superiores enim praeter consuetudinem longe dependentes erant et opinionem, columnam vertebrarum nec non pelvim rhachitide esse deformem, confirmarunt, quam deformitatem diligentior exploratio magis ante oculos posuit. Columna enim vertebrarum a primaria thoracis vertebra fecit talem incurvationem, ut ad sinistram spectans totam scapulae sinistrae superficiem subiret et hoc modo scoliosin sinistram efficeret. In hoc columnae vertebrarum decursu quinta, sexta, septima et octava thoracis vertebra cyphosin confirmarunt, cuius convexitas retrorsum ad interiorem scapulae superficiem, concavitas contra antrorsum ad pectus petiit. Praeter cetera quinque vertebrae lumborum sub acutissimo angulo cum ultima thoracis vertebra coniunctae iterum incurvationem a laeva ad dextram conformant, cuius convexitas dextrorsum, concavitas autem sinistrorsum spectat. Quo factum est, ut quintae demum vertebrae lumborum corpus axin totius corporis attingeret, quod autem vertebrae corpus, ubi cum corpore primae vertebrae spuriae ossis sacri sese coniungit, tantum prominuit, ut iis promontorium contra normam legitimam progressum efficeretur. Perinde pelvis facies externa hanc deformitatem perhibet: ossis ilei spina anterior superior et crista lateris dextri, spinam lateris sinistri altitudine pollicis unius superavit, quae res haud parvam pelvis deformitatem accipere fecit. Extremitates inferiores, quas incurvatas ac deformes esse putaremus, graciles, recte collocatas atque ab norma non abhorrentes reperi. Incessus certus, corpore neque ad latus sinistrum neque ad dextrum inclinante.

Exploratione externa graviditatis causa instituta mammae



e duorum mensium spatio plenae erant, nec mediocrem afferebant dolorem, qui tamen tunc quidem erat diminutus; abdomen tensum et eo modo constructum invenimus, ut latus dextrum latus sinistrum valde superaret, quin enim in illo gravidus uterus, in hoc tractus intestinorum situs erat. Atque fundus uteri in regione hypochondriaca dextra situs est, quo ex loco gravidus uterus in regionem pubis descendit, ita quidem, ut infima uteri pars lineam albam contingeret. Partes infantis a regione hypochondriaca dextra ad mesogastricam tenderunt, in sinistra autem abdominis parte extremitates quaedam repertae existiterunt. Manum abdomini supponens infantis motus distincte percepi, sicuti palpitationem cordis in regione circa umbilicum audivi.

Interna exploratione, quod ad externas genitales partes pertinet, labia maiora valde tumefacta erant, praeterea autem partes genitales bene collocatas et constructas invenimus; introitus vaginae erat augustus, calidus, aliquantulum muci secernens, promotorium autem perquam profunde situm pelvis introitum valde coërcuit. Digitus explorans distantiam inter verticem arcus ossium pubis et promotorium reperit: 2" 8"—; detractis igitur lineis 6, remansit coniugata magnitudinis 2" 2 — 4"; praeterea pelvis cavitatem ad omnes dimensiones angustatam invenimus, ita ut non solum introitus pelvis arctus, sed etiam tota pelvis iusto minor nominari posset. Portio vaginalis propter altum uteri seorsumque inclinatum statum vix attingi potuit, quae circiter magnitudinem linearum sex habuit. Os uteri externum reclusum et rotundum, utrumque labium paululum intumuit, posterius autem<sup>1</sup> maius anteriore erat.

Auscultatione thoracis ad pulmonum conditionem in-



dagandam a me adhibita rhonchus submucosus in maiorum bronchiorum decursu audiebatur, percussione autem nullum signum pathologicum percipiebatur, qua ex re sequitur, ut, quum thoracis constructio externa esset bona, cetera pulmonum functio regularis eveniret, pulmonum indoles igitur faustissima appellari posset.

Gravida a tempore, quo suscepta erat in Xenodochium omni ratione bene se habuit et percepit distincte infantis motus.

Corporis diversae dimensiones gravidae et pelvis eius, partim auxiliante manu, partim instrumentis ductis repertae, hae sunt:

Diameter coniugata . . . . .	2" 2-4".
» transvers. apert. sup. . . . .	4" 6".
» diagonalis . . . . .	4".
» recta pelvis cavi . . . . .	2" 4 $\frac{1}{2}$ ".
» transvers. pelv. cavi . . . . .	4 $\frac{1}{2}$ ".
Distantia inter utramque spin. ant. sup.	
oss. ilei . . . . .	14".
» trochanterum . . . . .	15".
Longitudo extremitat. super. . . . .	4' 9".
A. plano horizontali ad oss. ilei cristae	
summam partem in latere dextro .	32 $\frac{1}{2}$ ".
» latere sinistro . . . . .	31 $\frac{1}{2}$ ".
» ad arcus oss. pub. verticem . . .	25 $\frac{1}{2}$ ".
» ad oss. coccygis apicem . . . . .	27".
Totius corporis altitudo . . . . .	4' 3" 8".



## **Partus et ipsius operationis enarratio.**

---

Iam illa nocte inter XVIII et XIX mensis Ianuarii a. c. gravida hic et illic doloribus lancinantibus vexabatur, qui in abdomine tantum, non autem in regione sacrali sentiebantur, ita ut nondum dolores ad partum nominari possent. Ab hora sexta matutina saepius dolores revertebant, longe perdurabant et typum regularem obtinebant, sicuti etiam in regione sacrali praecipue sentiebantur. Versus horam decimam ante meridianum ex exploratione interne instituta cognovimus segmentum uteri inferius sacciforme propendens, portionem vaginalem maximam ad partem, circiter ad lineas sex diminutam, os uteri parum tantum apertum. Parturiens cubitum discessit ibique manebat. Ab hora prima meridiana dolores ita quidem mutati apparuere, ut interdum veri dolores intermixtis doloribus spasmotonicis exorirentur; portio vaginalis omnino evanuit, os uteri ad magnitudinem linearum octo apertum dignoscebatur; introitus vaginae apertus, vagina ipsa fervida, magnam muci copiam secernens. Femina ipsa de dolore valde quæsta, inquiete iactata est; caput calidum, facies turgida, rubra, oculi nitentes, sudor eximius <sup>ex</sup> toto corpore, praecipue e fronte manavit; iterum iterumque partum finitum parturiens exoptavit; pulsus frequens, durisculus parvus; sitis magna aderat, quam ob causam aegrotata magnam potus copiam sumsit. Paulo post ructibus vexabatur parturiens et bis liquidum sumtum evomit. Deinde ab hora tertia post meridiana dolores exstitere regulares fortioresque, os uteri magis magisque apertum est et velamenta ovi liquore amnii vesicae instar extensa



prominuerunt. Muci vaginalis hic atque illic striis sanguineis intermixti larga fuit secretio. Ex auscultatione pulsum infantis cordis celerrimum reperimus circa umbilicum.

Nunc Prof. ill: Kilian temporis optimum momentum ad hanc operationem suscipiendam advenisse putans et, quum gravida iam antea brevi allocutioni cl. Prof. Kilian ex animi sententia et consilio assentiisset, statim res aggressa est. Ut autem faeces in intestino recto repertae tollerentur, clyster applicatus est, qui etiam alvum duxit; urinam parturiens iam prius sponte miserat.

Quae ad operationis fines inserviebant instrumenta et mensa, ad hoc consilium proprie aedificata, iam diligentissime praeparatae erant et parturiens, praesentibus professoribus celeberrimis facultatis nostrae medicae: Dr. Dr. Albers, Budge, Heinrich, Schaafhausen et nonnullis huius urbis medicis practicis Dr. Dr. Unger, Nettekoven, Piecq, Velten et permultis medicinae studiosis ea ratione in illum lectum posita est, ut non solum pelvis idoneo modo elata, sed etiam pectus et caput satis commode et alte iacerent. Duobus assistantibus munus commendatum erat, qui parturientis lateri sinistro adstantes solis manibus abdominis integumentis suppositis impedirent, quominus pars ulla tractus intestinalis in vulnus intraret, postquam cautissime intestina, quae inter uterum et integumenta abdominis iaceant, ad latus sinistrum protrusa erant.

Duo alii assistentes curarunt, ut motus pedum impediretur, dum alius quidem instrumenta et aliam suppellectilem suppeditat, et iterum alius parturienti ad recreationem idonea praebet. Hoc momento ill. Prof. Kilian scalpello convexo adiuto in integumenta abdominalia in-



cisionem fecit, quae 1" iuxta umbilicum in latere dextro incipiens producta est usque ad ramum horizontalem ossium pubis, relicto tamen pollicis unius spatio inter finem incisionis et ramum ipsum horizontalem, ita enim, ut incisionis directio cum linea alba convergeret. Deinde se- iungebat vir ille maxima dexteritate praeditus gradatim cautis ac parvis incisionibus panniculum adiposum et postremo strata muscularia usque ad peritoneum incidit. Vulnus autem magnitudine sex pollicum erat. Postquam porro ex nullo vase maiore sanguis prosiliit, peritoneum in vulneris superiore parte cautissime incisum est.

Digito indice manus sinistrae hoc foramen penetrato inter peritoneum et uterum, scalpello adiuvente convavo capitatoque reliquam partem peritonei comitante illo digito incidit, quo peracto statim uterus in vulnere ad ad- spectum venit; nulla pars autem intestini usquam loci prosiluit. Qui eventus faustus cum pressu optime a doctissi- mis viris Nettekoven et Piecq. exercitato, tum etiam accuratissima praeparatione ante incisionem instituta est factus. Nunc eodem scalpello uterus incisus est et qui- dem hoc modo, ut medius fere uterus incisionis locus eli- geretur, quo ex loco caesura ad infimam uteri partem producta est. Postquam in substantiam uteri incisio mag- nitudine trium circa pollicum facta est, liquoris amnii magna copia erupuit, quo effluxo cel. Prof. Kilian duce digito indice manus sinistrae in uteri incisionem introducto fere usque ad collum uteri vulnus dilatavit. Proh dolor autem! in loco incisionis placenta erat inserta, ex qua, quum laesa esset, haud parva haemorrhagia exoriebatur. Cel. Prof. Kilian statim, ut maius sanguinis proflu- vium impediret, partem satis magnam placentae manu



solvit, et infantem arripuit, cuius humerus dexter prae-  
vius erat cum brachio, eumque satis celeriter protraxit.  
Infante protracto statim vehementes uteri contractiones  
exortae sunt, quae sanguinis profluvium sedarunt eo modo,  
ut in universum haud multus sanguis efflueret. Extra-  
ctione quoque infantis peracta nulla pars tractus intesti-  
nalis nec in uteri nec in integumentorum vulnus prolapsa  
est, quum assistentes illi eruditissimi uteri contractiones  
sequentes vulneris labia caute appropinquarent. Dum cel.  
Prof. Kilian horam circiter quadrantem ad naturae leges  
imitandas moratur, cavum abdominis a liquoribus in illud  
influxis expurgatum, deinde utero bene contracto secun-  
dinae integrae extractae sunt. Orificium uteri per eius  
cavitatem exploratum circiter ad magnitudinem duodecim  
linearum apertum erat. Utero iam satis contracto et cavo  
abdominis cum labiis vulnerum et uteri et integumento-  
rum expurgato ad reuniendum acubus infixis, vulnus in-  
tegumentorum progressum est. Quinque canales acubus in-  
fixis effecti sunt, quorum primus a vulneris angulo supe-  
riore pollicem unum et alii quatuor inter se simili spatio  
distabant. Quatuor superiores ligaturae penetrabant in-  
tegumenta tota cum peritoneo, inferior autem integu-  
menta, excepto peritoneo. Quibus rebus omnibus peractis  
superiores ligaturae connexae sunt, dum quinta ligatura  
infima aperta manet, ad in imum vulneris angulum linteo-  
lum inducendum. Tum sutura perlongis fasciis emplastro  
adhaesivo illitis suffulta est, quae a dorso in partem an-  
ticam progredientes singulis illis suturis interiectae sunt,  
totumque corporis ambitum cingentes, earum fines in ipso  
vulnere decussationem inibant. Quo facto vulnus iam  
parvum eventum linteo carpto tegebatur, qua re deliga-  
tionis finis factus, quin fascia uniens abdominalis adiuncta



sit. Operatio tota tempus implevit circiter horae dimidia. Operatione perdurante fere una et dimidia libra sanguinis effluebat. Pulsus ante operationem numeravit octoginta ictus, deinde autem frequentior magisque vacuus factus. Bis aegrotam animus liquit, eique porrecta analeptica crebris ructibus evomita sunt.

De doloribus incisione excitatis nullo modo conquesta est I. Schleichert, attamen acum per peritonaeum transmissam et molestias tussi frequente et ructu exortas molestias accusavit.

Neonata, filia, quum non statim praesentia ederet vitae signa, funiculus autem umbilicalis satis perspicue pulsaret, et palpitationes cordis distincte animadvertere possemus; porro respiratio adesset, funiculus umbilicalis dissectus et infans curae nonnullorum ex iis, qui circumstabant, praecipue Dr. Dr. Budge et Schaaffhausen tradita est, quorum acurata assiduaque diligentia horis duabus praeteritis respiratio magis regularis prodiit; post tertiam autem horam clamorem infans sustulit, ex quo tempore obstetricis curae commendari potuit.

Diametros infans habet has:

Diamet. capit. maximam . . . . .	5"	
» » rectam . . . . .	4"	6'''
» » transvers. maxim. . . . .	3"	6'''
» » » minim. . . . .	3"	3'''
» perpendicularem . . . . .	4"	—
» humerorum . . . . .	4"	6'''
» coxarum . . . . .	4"	5'''
Pondus infantis effecit . . . . .	5½	libr.
» placentae . . . . .		Libram.
Longitudo funiculi umbilicalis . . . . .	20"	



Restat ut addam hoc loco nonnulla de statu adverso, quo parturiens, quum operatio institueretur, laborabat. Accessit nempe, ut eo tempore, quo abdominis cavitas aperta est, vomitus haud vehemens bis exoriretur. Qua de causa ill. Prof. Kilian tincturae opii simplicis guttas viginti dari iussit, quae dosis operatione finita repetita est.

---

### **Puerperium.**

---

Operatione peracta puerpera cautissime ab illa, in qua instituta est operatio, mensa in lectum percalefactum, qui prope adstabat, translata est. Puerpera non bene se habuit, valde debilitatae operatione vires fuerunt, pulsus vacuus et debilis non increvit nisi irritamentis adhibitis, et statim denuo languidior et vacuus redditus est. Ructus et vomitus saepius saepiusque apparuere, quam ob rem accurate vulnus abdominis observetur necesse fuit, atque pressu apte adhibito cum vomitus exoriretur prohibebatur, quominus suturae rumperent. Ructibus adstantibus ex inferiore vulneris angulo larga sanguinolenti liquoris copia effluxit, dum e vagina parum tantum lochiarum emanat.

Ad tollendam ventriculi irritabilitatem adauctam et ad fructus percipiendos opii in huiusmodi casibus efficacis, ad rerum ratione quinas guttas tincturae opii adhibuimus.

Puerpera omnino quieta de debilitate magna tantum quæsta est, dolorem autem in abdomine minime accusavit; siti tamen vexata, quem in finem ei porrigebatur



aqua vel sacharo stipata vel cum aliquantulo vini mixta, quibus desumptis paene semper vomitus exoriebatur.

Ad horam fere decimam vesperinam somnolentia accessit et cutis humida vaporosaque observabatur.

Quamvis autem paene per totam noctem puerpera vigilaret, vires tamen non magis debilitatae nec conditio eius in peius mutata inventa est.

Die XX. mensis Ianuarii hora decima matutina abdomen paululum doluit, quapropter ei vesica glacie impleta imposita est; sub pressu abdominis dolor non auctus; pulsus parvus, mollis, nonagies micavit. Puerpera siti valde accreta, ructibus et vomitu vexabatur ut antea; appetitus ciborum nullus, sudor semper largus bonum eventum sperare permisit; lochiorum copia non ita crebris tamen continua, urina rubescens, alvus non soluta.

Praescriptum est:

Rp. Decoct. rad. salep (ex Dr. jj parati) Unc. sex.

Nitri depurati Dr. unam

Vini stibiati Dr. semis

Magnesia sulphur.

Unc. semis

M. et solve D. S. omni hora Cochlear sumendum.

Praeterea quindecim hirudines officinales ponderis medii in vulneris circuitu applicatae sunt, ut qua inflammatio efflagrans primordio exstingueretur.

Infans debilis quidem, sed tamen satis bene se habuit, mox somnum cepit et deinde usque ad hoc tempus nonnulla cochlearia parva biberat infusi florum chamomillae sacharo stipati, quo largum deposuit meconium.

Puerpera praescripta medicamina sumere nequivit, quum iis vomituritiones adaugerentur, qua de causa opium



denuo datum est. Ita per totam diem usque ad vesperam illa Schleichert se habuit; ad horam sextam vespertinam iterum quindecim hirudines abdominis vulnere circumdatae sunt, magis eo respectu, ut inflammatio vitaretur, quam ut tolleretur. Ad vesperam puerpera in aliud cubile translata est; linthea, quae ei supposita erant, magnam lochiorum sanguinolentorum copiam exhibuerunt. Paulo post impulsus ad alvum solvendum vanus aderat, clyster applicatus alvum non duxit. Ad horam decimam iterum ei applicatus est clyster, quem retinuit maximam ad partem, quo flatus nonnulli ad magnum levamen puerperae expulsi sunt.

Ab hora decima usque ad undecimam quiete dormivit; e somno excita meliorem se non sensit, sed de anxietate magna et phantasmatis singularibus quæsta est. Pulsus centies quindecies micavit, vacuus et ipse miurus. Clyster nunc applicatus iterum sine ullo effectū defluxit, et mucī gelatinosi copiam parvam secum duxit. (Prima hora post mediam noctem.) Ex hoc tempore debilitas puerperae magis magisque increscit, quamvis vulneris et abdominis conditiones semper eodem statu, ut antea erant, permanerent. Multifaria adhibita irritamenta nullus successus secutus est; vita iam valde extenuata sine mora elanguescit. Ad horam matutinam nonam diei XXI. mens. Ianuarii, quum debilitas maxima adesset, Moschi gr. quatuor puerperae porrecta sunt, quae autem illa vix deglutinare potuit; paulo post convulsionibus lenibus vita eius extincta est, unam diem et sedecim horas post operationem institutam. Filia ad matris mammas iterum iterumque admota eas sprexit nec multum ante matrem, quamquam diligentissima et accuratissima cura instituta fuerat, e vita decesserat.



## **Sectio cadaveris.**

---

Hora vicesima septima post mortem puerperae cadaveris sectio instituta est.

Corpus mortuum rigidum fuit, faciei color flavus; vultus immutati, oculi nitentes, pupilla dilatata; ex ore et e naribus emanavit liquor mucosus, tenax et flavus, quumque corpus commoveretur e vesica urinaria satis larga urinae copia effluxit; abdomen paululum extensum sparsas e caerulea viridas maculas ac vestigia morsuum hirudinum cognoscere fecit; in suris maculae rubrae ex applicatis sinapismis repertae sunt. Vulnus ex operatione exortum longitudinem quinque pollicum praestitit, suturisque solutis ad angulum superiorem nonnullis adhaesionibus tenuibus vulneris ora inter se cohaeserunt, ad angulum inferiorem autem per totum hiaverunt. Canales acubus infixis effecti caerulei.

1. Quum cavitas cranii apertum esset, sinus durae matris et venae saltem norma maiorem sanguinis copiam continentes, caeteras autem cerebri partes et ad colorem, consistentiam et substantiae qualitatem et ad ventriculos et quae iis continentur respicientes, normalia tantum dignovimus.

2. In pectoris cavitate pulmones omnino normales, neque ullo loco tubercula, quae autea suspicati sumus, continentes vidimus; pulmo sinister in superiore parte adhaesionibus filamentosis cum pleura costarum coniunctus est. In corde et pericardio omnia a iusta norma non abhorruit.



3. In cavitate abdominale intestina crassa aëre intestinale paululum impleta exstiterunt, praeterea nec morborum, neque inflammationis praeteritae vel praesentis signa invenimus. Hepar, ventriculus, lien, renes omnino ad normam se habuerunt et quoad formam et quoad structuram.

Peritoneum in proximo vulneris circuitu hic et illic inflammationis signa nigrescentia perhibuit, quum enim vasa sanguinea impleta bene possent dignosci; in vulneris ore nulla inflammatio cerni potuit. Uterus sex pollicum latitudinem ostendit; vulnus uteri valde hians circa pollices duos et semis a fundo incipiens trium et dimidii pollicum longitudinem habuit; ora vulneris vasa sanguinea haud multum impleta praebuerunt.

Incisio in integumentis abdominalibus diagonalis instituta nunc in utero longitudinalis apparuit, quum uterus, nunc hoc amplius gravidus, e directione priore obliqua ad normalem statum rediisset.

Cavum uteri haud parvam cruoris sanguinei copiam continuit. Qui vero sanguis coagulatus et serum sanguinis in uteri et abdominis cavitate inventus est, pondus habuit librae unius et paucilli.

---

### **Descriptio ipsius pelvis.**

---

Signa pathognomica pelvis rhachitide prioris aetatis commutatae ossium indole distincte cognoverimus licebat, contra eius formatio minus illa comparare potuit. Ossa praecipue tenuitate exigua, gracilitate, crassitudine, laevitate et colore maxime albo praestiterunt eorumque mar-



gines atque cristas acute undique prominentes cernere potuimus. Ossa ilei parvitate insolita erant et angustia rara et faciem internam magis antrorsum adverterunt, cum spinae solito longius inter se distant.

Non minus mirati sumus, ea de causa, quod corpora lumborum vertebrarum usitato erant minora. Promontorium in prelvīs introitum longe eminebat, et os sacrum a parte anteriore faciem convexam patefecit.

Memoratu autem dignum est, quod distractio ossium non erat progressa et pelvis introitus ad partem dextram tanta erat, quanta exstitit sinistra, aut, quae eadem sunt, quod promontorium e regione symphyseos ossium pubis sita est. Prominentiam dextri ossis ilei, quam supra commemoravimus et quam in pelvis exploratione externa ante mortem instituta, invenire putavimus, in sceletō reperire non potuimus, quum enim utrumque os ilei eandem altitudinem (2" 6'" a crista ossis ilei ad lineam innominatam) haberent. Pelvis cavitatis angustia ut pelves rhachitide deformes fere semper perhibent, a parte anteriore ad posteriorem partem usque ad spatium 2" 4½'" coarctata est, diameter autem transversa ad hanc rationem longe dilatata (4½'") sicut etiam diametri pelvis exitus non maiores, quum in statu normali, imo minores exstiterunt.

Ne idem denuo recoquam, illas dimensiones status apresentis allegatas ad mentionem revoco, quas cum illis in sceletō repertis, prorsus omnino convenientes invenimus.

---



## **Epicrisis.**

---

Quis est, qui ad res in anamnesi commemoratas et ad facta in statu praesenti relata et ad commutationes organicas obductione plane patefactas corporis illius Schleichert respiciens dubitet, quin ipsa vehementer rhachitide correpta fuerit, et quin abnormitates, quas referimus ex hoc morbo fatali sint exortae. Memoratu autem dignum est, ut tanta scoliosi praedominante, pelvis tamen ad nullam partem curvamen demonstraret, imprimis autem, ut cruris superioris et inferioris ossa ad integrum se praeberent recta et ad structuram bonam essent conformata ita quidem, ut accipiamus liceat, illam nostrae Schleichert ossium debilitationem rhachitide effectam, (quae e sua natura a capite exoriens spinam in morbi circuitum secum tulerit et in pelvis ossa se transfuderit), haecce modo, quod naturalem, ut ita dicam, attinet indolem, commutasse et sedatam esse, priusquam eorum distractio fieri potuit. Qua de causa diagnosis, pelvim rachitide coarctatam respiciens defensa, ut mihi videtur, exstat. Quod autem pelvis introitus coarctatio tanta erat, (2" 3'') indicationem optimam ad sectionem caesaream instituendam esse potuit, sine qua et mater et infans doloribus ad partum certe perditae essent.

Quid nunc amplius et fusius de via et ratione incisionis proferam, deinde de pressu adhibito, ne intestina exciderent, tum de optimo faustissimoque operationis momento, denique de diversis opinionibus extractiones infantis et secundinarum expectantibus, postremo de iis, quae cum operationis singulis partibus sunt coniunctae; eam enim ob causam, quod haec omnia iam viris me omnine



doctioribus uberius, quam ego pro mea virili parte praestare possum, delineata atque adumbrata sunt, ex quibus unice leges sumendae, quae instar normae fere constantis iis, quibus officium est impositum, ut sectionem caesaream instituant, inserviunt. Quae quum res ita se habeat, taceam de his omniibus.

Illud tantum mihi restat, ut proferam multifarios morbos, in quos puerperae post sectionem caesaream omnino incidere possint, et quantum fieri potest, ut perscruter, quo illorum morborum nostra Schleichert peririsset. Nusquam tanta adest gravissimorum morborum complicatio, quam apud puerperas sectione caesarea partus onere liberatas. Permagna nobilissimorum organorum laesio, ut peritonaei, prae ceteris autem uteri, qui in graviditate et puerperio merito ac iure primum locum obtinet; partus praecipitatus, puerperium, et saepe debilis virium constitutio aegrotae, hae omnes causae sunt, quarum quaeque mortem provocare potest. Huc accedit tanta commutabilitas et incostantia symptomatum, ita ut e. g. inflammatione adstante organorum laesorum morbus tum demum ad mortem exitum sumat, quum inflammationis signa iam evanuerunt; et ut saepius post operationem omnia virium summe lapsarum signa sequantur et paulo post omnia in contraria vertantur.

Quomodo quaeque repentina evacuatio organi antea extensi sit periculosa universo corpori et facile paralysin procreare valet, eo modo evacuatio uteri periculosissima esse debet, quia incisio eius subito fit et quia maxime eo tempore, quo ad summum usque eius actio excitata est.

Non minus, quum incisione uteri facta, statim uterum bene contractum et paulo post vim ipsi insitam eum



relinquere videamus summum organismo periculum affert. Nam equidem ex uteri atonia atque inertia incisione effecta illum statum nervosum, excitatum, erethisticum, quem in puerperio reperimus exortum esse aestimo. Quae quum operatione peracta illae secretiones, quae ad normalem puerperii decursum tanti momenti sunt: effluxus sanguinis e vagina, lactis et cutis secretio, a normali statu fere nunquam abhorreant, plane patescit, ut puerperii prognosis tam infausta sit nominanda.

Quodsi illa breviter allata ad hunc casum adhibemus, morbis causam ex observationibus in puerperio et obductione repertis mutationibus non inflammationem illorum operatione laesorum organorum fuisse putamus, sed mors e symptomatis progressa est, quorum causa proxima in symptomate gangliosi abdominis ponenda esset; ita ut argumentum illud, quod idem pronuntiat, constet.

Curae methodus ab ill. Prof. Kilian (confer: Puerperium) adhibita indicationibus prorsus omnino respondit, omnibus ex partibus illas leges ad hunc respectum valentes accurate observans; qua de causa infelix eventus eo magis erat lugendus, quam initio per omnia, ut ex historia morbi prolucet, bonum successum sperare permissum esse nobis videatur.

---



## V I T A.

---

Carolus Augustus Winkler, fidei evangelicae addictus, natus sum anno huius saeculi decimo secundo, die XXIII. m. Augusti, Istebiae, Saxoniae provinciae oppido, patre optimo Guilelmo Winkler, matre carissima Ioanna, e gente Töpel, iam dudum, proh dolor! morte mihi abrepta. Prima puerili aetate urbis patriae scholas frequentavi, deinde Gymnasium, quod ibi, Directore ill. Siebdrat, florebat, petii. Anno MDCCCXIII. postquam classis primae scholis unum et dimidium annum interfui, testimonio scholastico instructus Parthenopolin me contuli et ab ill. Rectore A. Andreae dispulis scholae medico-chirurgicae adscriptus per duos annos hisce interfui lectionibus: beat. Brüggemann de corporis humani anatomia universa cum theoretica, tum practica; de anatomia pathologica et physiologia; hon. Michaelis de chemia et physices elementis; cel. Andreae de pathologia et therapia tam universali, quam speciali; hon.



**Fritze** de materia medica et arte formulas rite concinnandi; **hon. Dollhoff** de chirurgia universali et speciali; **Prof. Scheibler** de akiurgia; de fracturis et luxationibus; de arte fascias rite applicandi et de exercitationibus akiurgicis in cadaveribus institutis.

Anno **MDCCCXXXV** Berolinum adii, ibique ab **ill. Rust** inter studiosos medicinae et chirurgiae receptus, hisce medicinae studiis operam navavi. Docuerunt me **ill. Wolff** medicinam practicam, **ill. Rust** et **Trüstedt** chirurgiam clinicam, **ill. Wagner** medicinum forensem, **ill. Busch** artem obstetriciam tam theoreticam, quam practicam. Deinde ex mense **Febr.** anni **MDCCCXXXVII.** usque ad mensem **Maium** anni **MDCCCXXXVIII.** chirurgi militaris munere in legione pedestri vicesima quarta, quae **Neo-Ruppini** castra habet duce doctissimo **Dr. Seidler** functus sum. Quo facto Berolinum reversus a **Rectore** magnifico **Müller** civitate academica donatus, et a **Decano** spectabili **Prof. Busch** in album facultatis medicae relatus has scholas frequentavi; **ill. Michelet** de logice et encyclopaedia; **ill. Steffens** de psychologia; **ill. Kunth**, de botanice; **ill. Mitscherlich** de physice; **ill. Weiss** de mineralogia; **ill. Lichtenstein** de zoologia; **ill. Hecker** de historia medicinae; **ill. Schultz** de pathologia generali.

**Viris illustr. Rust, Wolff, Wagner, Busch, Trüstedt** in exercitationibus clinicis, medicis, et chirurgicis et obstetriciis ducibus auctoribusque usus sum.

Neque possum, quin omnibus his doctissimis praeceptoribus ex toto animo gratias quam maximas agam.

Iterum necessitate coactus ex anno MDCCCXLII. chirurgi militaris munere fungor in XXV. pedestrium legione duce cl. Dr. Feuerstein:

Postquam iam antea Berolini auspiciis ill. Prof. O s a n n t t. medicae facultatis decano spectabili, tentaminibus prospero eventu superavi, nunc Bonnam adii, sperans fore, ut universitatis, quae ibi floret, amplissimus medicorum ordo, mihi superato examine riguroso gradum doctoris medicinae, chirurgiae et artis obstetriciae tribuat.

---



## **T H E S E S.**

---

- I. *Non omnes morbos sanare licet.*
  - II. *Diagnosis infantis sexus, mortis et graviditatis multiplicis ante partum incertissima.*
  - III. *Phtiseos pulmonum nullum certum signum.*
  - IV. *Auscultatio in arte obstetricia maximi est momenti.*
-





